

## Praefatio.

Tironis non esse tragici poetae textum edere cum probe intellegerem, tamen hanc novam Hypsipylae editionem parare ausus sum. Quem ut susciperem laborem multa me stimulabant. Abhinc annos fere decem novissima prodiit editio, quam ob rem textum retractare haud inutile videri possit. Ac multi quidem per illud temporis spatium Hypsipylae operam dederunt, nondum tamen de hac materie tam immensa copia librorum dissertationumque quam de tragoediis bene servatis scripta est, ita ut legendi, excutiendi, perscrutandi labor intra modicos maneret fines. Praeterea textui incrementa quaedam quamvis exigui ambitus afferri possunt. Postremo cum textus, ubi integer est, haud magnas difficultates praebet, ubi mutila est condicione, ingenium delectatione quadam divinandi et intellegendi alliciat, hoc opus temptare animus ferebat.

### I.

Editio princeps, quam curaverant clarissimi illi viri Grenfell et Hunt, opera et consilio adiuvantibus viris doctis v. Wilamowitz-Möllendorff, Bury, Murray, prodiit anno 1908. Continet fragmenta 116, quorum duae fere partes propter exiguitatem nullius sunt pretii.

Paginae sinistrae papyri textum quam diligentissime exscriptum praebent, dextrae editionem qualem lectores hodierni desiderant, digestam, correctam, expletam.

Accedunt prolegomena, versio Britannica, commentarius criticus et exegeticus. Eximia illa editio apud omnes peritos dignam tulit laudem.

Anno 1909 Hypsipylam edidit v. Herwerden, „in usum studiosae iuventutis“. Sed hic libellus innumeris typhothetarum erroribus deformatus non nisi editionis principis annotationes paucis tantum additis praebet.